



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

5. Dies Januarii. Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant.
Eucher. Epist. Parane.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

5. DIES JANUARII.

Primas apud nos curas , quæ prima ha-
bentur , obtineant. *Eucher. Epist. Pa-*
rane.

Primum I.
quæren-
dum cæ-
lum.

Non satis est velle in vitæ pro-
gressu servare ordinem , sed
in ipso ordine servandus est
ordo , ut serveris per ordi-
nem. Quapropter ne in ordine servando actum a-
gas , is tibi sit norma agendi , qui est purissimus a-
ctus Deus. Statim ubi cœpit esse tempus , cœpit , per
quem sunt tempora , operari Deus. Quæris , quod
fuit ipsi initium operis ? Hoc tibi suggeret primum
caput Genesis , & ex eo intelliges seriem oblerandi
ordinis. (a) *In principio creavit Deus cœlum & terram.*
En ordinem. Primò cœlum , dein creavit terram.
Totum nostrum vivere , nil est , nisi aliquid quærere.
Quæris , quid sit tibi primò quærendum ? Respon-
deat qui te quærerit : (b) *Quærite primum regnum Dei.*
Cœlum comparare , & cœlestia curare , fit tibi cura
non tantum prima , sed tota. Illud igitur sit tibi quæ-
situ primum , quod est inventu summum. Creatus
est tibi animus non tantum è cœlo , sed propter cæ-
lum. Periculum igitur , imo perniciem tibi creas ,
si aliud impensiùs ambis præ eo , propter quod es
creatus.

II. Quælibet animi actio , est quædam veluti crea-
tio. Dum quippe animus agit , aliquid esse incipit ,
quod

(a) *Gen.1.2.* (b) *Luc.12.13.*

quod non fuit. Memoria dum quid recolit; Intellectus dum cogitat; voluntas dum amat, aliquid creat. In principio hujus anni, secuturi mensis, futuræ hebdomadis, cujuscunque diei, illud quod creas, sit primum ordine, quod Deo fuit primum in creando, tempore, cœlum, id est, Regnum Dei. Porrò Regnum Dei, est ipse Deus, hic regnans in nobis per gratiam, postea per gloriam. Debet ergo illud quæri ut finis, quia quod quæratur ad nostrum bonum, nihil est supra, vel ultrà. Propter hoc ergo unum facienda sunt omnia, quæcunque facimus. Si quid autem quæras, quod est sub cælo, quærendum est propter cœlum. Si alia præ hoc desideres, illa & perdes tu, & perdent te. Quid sentires de homine, qui, quia contractior est calceus quam pes, partem abscederet pedis, ut calceo respondeat pes? Insanites, nisi insanum censeres. Est enim calceus propter pedem, non pes propter calceum. Par tua est vesania mentis, insania cordis, dum perversus inverso ordine præfers terram cœlo, tempus æternitati, corpus animæ, cænum auro.

III. Sic autem Regnum Dei præ omnibus quæras, ut præ illo omnia negligas. Terra, cum sit infra te, est calcanda, non adoranda. Indignum est, animal dignissimum, rectum, & ad cœlum erectum curvari ad terram. Ideò statum sublimem, præter cæteras animantes accepimus, ut non revolvamus deorsum, nec hunc cœlestem vultum projiciamus ad terram, sed oculos eò dirigamus, quo illos naturæ suæ conditio, direxit, nihilque aliud adoremus nisi solius opificis nostri Numen. Venisti

Januar.

Tessera.

13

in mundum, non ut esses de mundo, sed supra mundum, ut sic aliquando sis intra cœlum. Illum despice, hoc suspice, ut te olim suscipiat. Et illud altere menti imprime, frustra sum, frustra hîc vivo, frustra omnia, dum hîc dego, ago, totoque cœlo aberro à cœlo, si quid studiosius quæro, & impensis opto pro eo, quod est optabilem omnium optabilissimum, Cœlum. Procul à nobis illud pessimum pessimorum axiom : *Quæsupranos, nihil ad nos.* Imo nihil magis est nostrum, quam quod est supra nos. Tametsi angusto calle tenditur ad illa, quæ sunt sursum, pii Vatis calculo, dum ita canit :

Est iter angustum, quod dicit ad æthera sursum,

6. DIES JANUARII.

Qui se sibi Magistrum constituit, stultus se discipulum subdit. *Bern. Epist. 87. ad Ogeri.*

Opus est I.
Directore
in via per-
fectionis.

Quid refert scire, ut ordinem serves, ea esse eligenda primum, quæ dignitate sunt prima, si quæ illa sint, ignores? Ideò eligendus est Magister, sub cuius disciplinâsis in viâ vitæ, non tantum ab errore tutus, sed à metu erroris securus. Si nolis esse discipulus hominis, fies tibi ipsi magister erroris. (a) *Nulla ars sine tem-
pore discitur, & absque preceptor. Ars artium sola sine
Magistro*

(a) *S. Nilus, lib. Asce.*